

CCXXV.

Anno 1703. die 15. Junii. Viennae.

Leopoldus Rex Valachos, inter Unam, Colapim et Savum fluvios degentes, Regni Croatiae Banique jurisdictioni subjicit ac Capitneatum Petrinensem abolet.

Nos Leopoldus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus ac Germaniae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wirthembergae, Superioris et Inferioris Silesiae, Marchio Moraviae, Superioris et Inferioris Lusatiae, Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae &c. omnibus et Singulis Valachicae Nationis, intra Wnam, Colapim et Zavum constitutis, Officialibus militariis, Knezijs, caeterisque Gregarijs ac incolis ibidem Commorantibus, hisce benigne notum facimus. Quemadmodum hucusque nihil propensius curavimus, quam ut Valachicae Nationis (quae ob Insignem Christiani sui Zeli impulsu excusso Turcae Servitutis Jugo Suas intra Unam, Colapiam et Savum quietae permanens novique Patrimonii, a nostra Maiestate Caesarea Regiaque ipsis concessas, fixerat Sedes, Salutem ac Tranquillitatem cum omni prosperitatis Civilis incremento promoveremus. Ita Sane nihil indignius experti sumus, nec quidquam maiori cum animi egritudine intelleximus, quam quod eadem Generosa Natio sinistris hinc inde persvasionibus in contrarium acta, Consilij nostri Aulae Bellici decretis publicatis debitum non gesserit morem, sepositaque Banali et Regni nostri Croatiae Auctoritate et Jurisdictione, munia sua militaria eidem concredita obire recusaverit, pluresque alias inobedientiae ac turbulentae etiam pervicaciae notas aediderit, imo in nuper demandato abhinc territorij Novensis vigore almae pacis ad portam Ottomanicam resignandi, actu cessionario, Alay Begum Bosniae, tanquam ex Parte Portae Ottomanicae constitutum eo fine commissarium, ejusque cohortes, conjunctis aliquot armatorum millibus, hostiliter prorsus pacifrage invaserit. His itaque commoti, ad avertendas quasvis ulteriores eatenus Confusiones ac mala, quae in Servitij nostri reique publicae detrimentum ex longiori rerum illis in partibus incertitudine suborire possent, gratiose resolvimus et determinavimus, accurateque executum habere volumus, ut Spectabilis et Magnificus Consiliarius intimus, Camerarius, Regni Nostri Hungariae Judex Curiae, Regnorumpue nostrorum Dalmatiae Croatiae et Sclavoniae Banus, nec non Campi Mareschali Locumtenens et fidelis nobis dilectus Adamus Comes de Batthyan, perpetuus in Nemeth Vyvar, totum illud intra Unam, Colapim et Savum situm, nostraeque Ditioni ex almae Pacis mente legitime subjectum Territorium, una cum Inhabitoribus ejusdem omnibus cujuscunque Nationis Inco-